

**Dissertatio inauguralis medica de mutatione temperamentum ... /  
Placido-eruditorum examini submittet Johann Andreas Wendt.**

**Contributors**

Wendt, Johann Andreas.  
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeb : Litteris Christiani Henckelii, [1712]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zxvba2zk>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**MUTATIONE**  
**TEMPERAMENTI,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,  
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,**  
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. OR-  
DINAR. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FA  
CULT. MEDIC. h. t. DECANO SPECTATISSIMO,

DN. FAUTORE AC PROMOTORE SUO OMNI  
*Observantiæ atque Honoris cultu colendo,*

**PRO GRADU DOCTORALI,**  
Solennissimo Inaugurationis Actu More Majorum rite consequendo,

*Ad d. Jun. M DCC XII. horis ante & pomeridianis*

Placido-Eruditorum Examini submittet

**JOHANN ANDREAS WENDT,**  
Hall. Magdeb.









## PROOEMIUM.



### Pinionum commenta

delet dies, Naturæ judicia confirmat, recte, & magis vere, quam ex tripode, declarat Philosophus. Sicut enim, quod vulgata versio habet, certe verum est, quod Deus mundum tradiderit disputa-

tationi mortalium; Et angustius atque laborare illos finit in inveniendis, quæ assequi non valent, operibus suis sapientissimis, quæ ipse interim simpliciter, constanter, ordinatè, & artificiosissime, tranquille admodum, agit & absolvit: Ita certe ipsa quoque dies, nempe temporis successus, manifestat & declarat, quod disputationes tales, diversæ præfigurationes, multiplices opiniones, longe frequentius per se quasi extinguantur, quam ut confirmationem atque veritatis constantiam tueantur & consequantur. In naturalium rerum, plus minus in sensum incurrentium, latissimo campo, innumera propemodum sunt harum rerum exempla; Ubi frustra insumtus, etiam à longissimo sæpe tempore,



apparet labor, in ratione illarum percipienda: Ubi propemodum, quanto longius progressam sese reputat esse, humana opinio, eo longius à veritate divertisse, tandem obstupefcit. Prorsus ut in Arithmeticis computis, ubi quando latius protensa jam est Calculi amplitudo, si quid in anterioribus numeris erratum est, in immensum illud evagatur, largioribus progressibus: Et maxime omnium, si in ipsis primis veluti radicibus error obrepfit. Valet hoc omnino etiam de Phycis rerum initiis & successibus intelligendis; Siquidem hic pariter, circa ipsa rei fundamenta admissum *ὑπερόραμα*, ita abducit ab ulteriore vero conceptu, & interim in ambages plurimas distrahit, animum, ut non solum nulla *αὐτάρεσκα*, sed subinde etiam tædium, fastidium, imo indignatio, inde oriatur. E magno numero talium, unius exempli locum facile tueri poterit, Dogma de *Temperamentis*. Hoc dum ab antiquo medicorum ævo superstructum est, primo, remotis illis, quatuor Elementis; Secundo, propioribus quidem, sed minus veracibus, aut recte intellectis, quatuor humoribus: Præterea etiam in applicatione historica, nedum ulteriori explicatione ætiologica, satis notabiles defectus exseruit, eo tandem devenit, ut à moderna medicorum Schola, acutissime perspicacitatis gloriam ambiente, plane fastiditum & rude donatum inveniat. Cum autem nequaquam ita absolute contemni mereatur; superstructum utique, naturali in rebus ipsis veritati: præstat potius mediam hic Viam eligere & insistere, ut quod verum est neque negligatur, neque cōtemnatur; Quod autem implicare possit minus exercitatas mentes, caute  
atque



atque provide inspiciatur, & ordine quantum fieri potest exquisito percenseatur: Ne vel plane immaturæ conclusiones enuncientur, vel ex insufficientibus circumstantiis, tanquam præmissis mancis, etiam operosæ conclusiones, nihilo minus irritæ resultent. Actum est de hac materia jam pridem, propria Dissertatione de *Temperamentis*, variè considerandis; Cum tamen peculiaris adhuc illorum circumstantia, & veluti conditio, occurrat in Historia Medico-Pathologica, quæ ibi nondum pro dignitate notata illo tempore fuit, placuit illam peculiari præsentē Exercitatione, SPECIMINIS INAUGURALIS loco, pertractare. Erit itaque Thema de MUTATIONE TEMPERAMENTI, quantum illa veritati consona haberi mereatur.

Faxit Divina Bonitas, ut ante omnia circa hoc etiam sapientissimum Ejus institutum, veritate, & tandem etiam optata, pro Bono generis humani, utilitate, potiamur.

TH. I.

**T**EMPERAMENTI vox *duplicem* sensum apud Veteres subit; dum nempe primo usurpatur de *sanguine*, secundò, de partibus *solidis*. Hoc posteriore vero modo iterum, primo de *singulis* partibus, deinde de toto corporis *Systemate* seu *complexu*: Unde forte appellatio in Usum ducta est *Complexionis*: sicut alia expressione, temperamentum *totius*, *partium* seorsim differentibus temperamentis, opponi solet.

TH. II.

Illud quod ex his, partim magis, partim minùs certis atque luculentis, respectibus temperaturæ in corpore



reperiendæ, evidentio rem usum pollicetur, est imprimis sic dictum Temperamentum *totius*: Nempe certa proportio & mutuus habitus *fluidarum* partium, imo totius *massæ* sanguineæ, ad *solidas*: Sive alia enunciandi & considerandi ratione, *fluidarum contentarum*, & *solidarum continentium*, *reciprocus* habitus, insignibus quibusdam variationibus obnoxius.

TH. III.

Ubi ante omnia duo illa offendicula, quæ veteri Scholæ medicæ non parum difficultatis objecerunt, *humidi radicalis*, & *calidi innati*, mox suos patiuntur manes. Dum *radix* illa statim utique *exaresceret*, si respectus *continendi*, inter *solidas* & *fluidas* partes cessaret: Nempe, si perpetuus motus humorum, *ad* & *per* partes *solidas*, auferretur. Nec aliud autem usquam fatum manet etiam *Calidum* illud *innatum*, quatenus de partibus *solidis* intelligi debet. Quandoquidem etiam hoc ipsum adeo omne illud præten sum jus natalium perplexum habet, ut, si *transitus* perpetuus sanguinis, & *allusus* quidem & *affrictus* ejus, ad partes *porosas*, *densas*, *subrigidas*, intercludatur aut opprimatur, citissime hinc eluceat, quid *Innati*, quid vero *adventitii*, in hoc negotio subsit & agnosci debeat.

TH. IV.

Illud autem, quod præcipuè conspicuum *adjunctum*, & variorum effectuum, alibi *fundamentum*, aut *instrumentum*, alibi *confectarium* est, occurrit oculis in diversitate *habitus* corporis, apud alios *laxioris*, *spongiosioris*, *mollioris*, quem antiquiore appellatione *humidiorem* vocant: Apud alios *strictioris*, *arctioris*, *densioris*, iterum antiquiore appellatione, *ficciore*.

TH. V.

Sicut autem modò innuimus, quod antiqua illa opinio de *humido radicali*, tanquam partibus simpliciter *immanente*, & non aliunde *adventitio*, maximis laboret difficultatibus;

Ita



Ita liberat nos facile ab omni imputatione iniquioris de hac re judicii, conjuncta cum texturis illis, altera *humidior* dicta, altera *siccior*, planè peculiaris ratio & proportio *Vasorum & meatuum*, apud differentes has Temperamentorum, (*humidioris & siccioris*,) classes. Dum in una harum, *exilia*, & minorem quantitatem massæ humorum complectentia, conspiciuntur vasa: In altera vero *ampla* eadem & *capacia*, longe majori quantitati massæ sanguineæ receptandæ, fovendæ atque continendæ, idonea.

TH. VI.

Ubi vicissim, *solidarum* reliquarum partium, nempe *porosarum*, textura, *laxior & spatiosior*, cum vasorum *minorum* capacitate concurrens, primo statim rationem aliquam suppeditat, cur in hoc statu, *Vasa POSSINT exilia & arcta* esse? Cum nempe multum humorum, liberum commeatum obtineat *extra Vasa*, per ipsam ita *spongiosam* harum partium texturam & capacitatem. Ex adverso verò, in illa constitutione, ubi per *stricturam*, *arctitudinem*, & *densitatem* partium *porosarum*, parum loci inveniunt humores *extra Vasa*, ibi tantò plus receptus servant *intra Vasa*, tam notabili capacitate instructa.

TH. VII.

Quæ quidem res ne frustra à nobis dici, & velut exaggerari existimetur, meretur de illa utique notari, quod frequentissime in subiecto notabiliter ita *strictiore* corporis habitu conspicuo, *capacitas* vasorum, secundum justam & æquam æstimationem *diametrorum*, facile *decies* superet *amplitudinem*, in subiecto, ceterarum talium conditionum (*ætatis*, *decentis longitudinis*, & reliquæ bonæ *sanitatis* &c.) parium, interim usitata *laxiori* habitui conjuncto vasorum *exilitate* exquisita conspicuo.

TH. VIII.

Sicut autem hæc res verum suum usum, ad *Theoriam*, tam *Physico-Anthropologicam*, quam *Medico-Pathologicam*, im-  
pri-



primis invenit, per veram animadversionem atque considerationem *Motus Tonici*; Sine cujus etiam sufficiente scientia, & iusta contemplatione, vana est omnis *Theoria* corporis *ut vivi*, & quarumlibet ejus mutationum: Ita tanto magis in hoc ordine, tam *subjective*, quomodo se ad *Tonicum motum* (*diversitas* Temperamentorum) habeat atque gerat, quam *objective*, quomodo *reciproce*, *Tonicus motus* ad talem *Temperamenti Varietatem*, se habere & gerere, partim possit, partim debeat, ex hac vera historia, & partim receptivitate, partim necessitudinibus, *varietatis* Temperamentorum, peti atque colligi debet.

Th. IX.

In quo nempe versatur veritatis Temperamentorum, ut *diversorum*, & *peculiarium* inde resultantium *usuum* & *necessitatum*, tam *Physicarum*, quam *moralium*, vera *Theoria*. Qua nempe neglecta, aut fusque deque habita, fieri non potest, quin multarum rationum tam *Physiologicarum*, quam *Pathologicarum*, ingentes hiatus relinquantur.

Th. X.

Cum autem de his rebus in supra nominata Differtatione *de Temperamentis*, ita copiose actum sit, ut ipsa, in tanta rerum multitudine, *brevitas*, animis minus exercitatis *obscuritatem* parere possit; Unde, quibus harum rerum scrutinium tamen placet, commendandum solum est, ut *patientiam* cum *attentione* necessaria conjunctam, talium deductionum lectioni adferant: Non jam hoc amplius agere placet, ut prolixius eadem repetendo, quod est in Proverbio, actum agamus: sed fert potius præsens noster scopus & intentio, ut de *Mutatione* Temperamentorum aliquid dicamus; quomodo hoc negotium tam ab ipsa propemodum inde antiquitate, consideratum sit, quam etiam in rei veritate sese ostendere & vere offerre soleat.

Th. XI.

A longo jam tempore, (cujus mensuras & intervalla  
histo-



historice peruestigare, laboriosi potius est, quam docti o-  
tū,) distribui sueverunt Temperamenta *duplici* ordine &  
respectu; Primo, ratione bonitatis atque *dignitatis*: fecun-  
do ratione *ordinis* alicujus, seu Successus. Priori res-  
pectu, omnium maxime laude dignum censetur Tempera-  
mentum *Sanguineum*; Proxime, *Cholericum*, porro, *Melan-  
cholicum*, ultimo loco *Phlegmaticum*. Ubi tamen quodlibet  
horum temperamentorum, *in se*, & quamdiu limites tem-  
periei non excedit, *sanitatem* nihil gravare, nedum lædere,  
intelligitur: Imprimis in qualicunque, ut loquuntur, *lati-  
tudine* sumptam. Interim *dispositioni ad morbos*, propiori &  
quasi proniori, *inverso* propemodum ordine illo, quem re-  
censuimus, apta esse Temperamenta illa quatuor, vulga-  
tissima propemodum fert opinio. Quamvis autem non  
immerito interponi hic posset animadversio aliqua, dum u-  
tique sano sensu attendi hic mereretur, nota illa *Hippocra-  
tica* & *Galenica*, de *athletica* sanitatis constitutione, seu ad  
*summum fastigium*, deducta Sanitate; Cui nempe quasi cer-  
tissimum subjectum præbere Temperamentum *Sanguineum*,  
in altera est suppositione: Non fert tamen nostri scopi ra-  
tio, hanc rem præsentē tempore enucleare.

Th. XII.

Altera vero sententia, de *successione* quadam, adeoque  
etiam *mutatione*, Temperamentorum, cum ad minimum  
*κατὰ τὸ δέμψια*, nostræ considerationis objecto consonet,  
plane prætermitti non potest. Digerunt autem hujus rei  
Auctores, quatuor Temperamenta in præcipuas quatuor  
*Periodos ætatis* humanæ. Ita, ut *Sanguineum*, assignent *In-  
fantili* atque *Puerili* ætati; *Cholericum*, aut certe qualemcun-  
que hujus præ reliquis prærogativam, latiori Periodo *Ju-  
venili*; *Melancholicum* *Virili*, ad *Senectam* progredienti; *Phleg-  
maticum* *Seniori*.

Th. XIII.

Quamvis autem, sed eum acuti Salis grano, hæc ex-



plicatio non mereatur absolutè contemni, nequaquam tamen fert exactiorem trutinam. Sicut enim *magis & minus* nusquam variat exquisitè totam *speciem*, ita in hoc etiam negotio gradualis talis diversitas nequaquam exhaurit aut æquat longe certe exquisitiorem differentiam talem *specificam*, qualis inter Temperamenta, in rei *veritate diversa*, omnino intercedit.

TH. XIV.

Dantur enim omninò, tam in ipsa *puerascete*, imo adhuc altiore *Infantili*, quam perfectiore *Senili* ætate, apud alia subjecta satis exquisitè *Sanguineum*, apud alia *Cholericum*, apud alia *Phlegmaticum*, ut & *Melancholicum*, Temperamenta. Ea solum diversitate *gradus*, ut utique in *floridiore* ætate, etiam *floridior* sit singulorum constitutio: In *languidiore* vero, jam per ætatem etiam *languidior*, & *molestius* propior subeundis: adeo, ut in tota hac hypothese nihil neque certum & perpetuum, nec exquisitum, agnoscere liceat.

TH. XV.

Propiùs autem aliquanto à veritate abest illa consideratio, quæ qualicumque generaliori convenientiæ aut *affinitati* Temperamentorum innititur. Dum videlicet inter se utique propiùs conveniunt, duo Temperamenta *Laxiora & humidiora*, *Sanguineum & Phlegmaticum*: & duo *strictiora & quasi ficciora*, *Cholericum & Melancholicum*. Ut adeo, qui in *alacriore & vividior ætate*, aut alacritati faventibus rerum *non-naturalium* justis usibus, *Sanguinei* sunt habitus, transire possint in *Phlegmaticum*, sive *etatis* marcorem introducendis, sive rerum *non-naturalium* minus provido & consentaneo, usu. Tantò magis autem *præter-naturalium* causarum interventu; Sicut ejus rei manifestissimum exemplum exhibet, *propensio* quasi illa, & planè *proclivitas*, *Sanguinei* Temperamenti, ad *Cachectico-Oedematoso-hydricas* deturpationes, tam *sanguinis*, quam *corporis*, quales *Phlegmaticos*, *pitu- itosa*



*itese* origini quasi magis propriæ, accensere, non usus magis, quam ipsa propemodum ratio, suadet.

Th. XVI.

Ita etiam inter *Cholericum* & *Melancholicum* Temperamentum, uti *Physico-Mechanica* quasi affinitas intercedit; dum in utroque horum *strictior porosarum* partium consistentia, *amplior* autem *Vasorum* capacitas, præstò est; Ita transitum ab altero ad alterum, proniorem certè compingere, quam è *laxo humido* aliquo, etiam ipsi rationi consentaneum est. Quæ res etiam tanquam usitatis exemplis, propius confirmatur, per satis familiarem quandam *complicationem* horum Temperamentorum, ut inde tam *corporis*, quam *animi*, *Choleric-Melancholici* habitus, specimina affatim reperiantur.

Th. XVII.

Sane vero hanc *Temperamenti Mutationem* agnoscimus & adseveramus nos ipsi quoque. Dari nempe, & observari possim, non solum *complicationem*, & quasi *communicationem* quandam, Temperamentorum talium, in aliquibus notabilibus circumstantiis jam aliquid *commune* habentium: Sed penitiorem etiam *conversionem* quasi, atque transitum, unius in alterum. Ea tamen differentia, ut non tam æque simpliciter *reciproca conversioni*, liber pateat locus; Sed magis à *Sanguineo* ad *Phlegmaticum*, à *Choleric* ad *Melancholicum*, fiat progressus, quam *contra*, ab illis ad hæc.

Th. XVIII.

Fundatur autem etiam hujus rei successus, & faciliior eventus, secundum ipsam sanam rationem, in eo, non tam simpliciter vulgato intuitu, quod semper pronior sit progressus, in rebus mortalium, à *meliori* in *deterius*: Sed potius, quod in negotio *mobilitatis* humorum, semper utique magis ordinatus progressus sit, à *consistentia fluidiore*, ad *spissiore*, & ab *optime coagitata subactione*, ad minus subactam & magis quasi *confusaneam* remixtionem.



Sicut autem hæc *transitus* ab uno Temperamento in aliud ratio, minore conceptus difficultate laborans, sine dubio etiam tanto facilius assensum impetrare valet; Ita nihilominus etiam valde *differentium* Temperamentorum *permutationem*, factu nequaquam impossibilem, neque adeo maximopere insolitam esse, docere potest ipsa experientiæ attentior observatio. Dico, à *succulento*, *sanguineo*, corporis habitu, *transitum* non raro fieri ad *strictiorem*, & *siccior*em (quantum ad *solidas partes*) *Cholérico - Melancholicum*.

Th. XX.

Suffragatur huic rei sine dubio experientia, in genere; *Quomodo* vero in specie, & sub quibus concurrentibus *circumstantiis*, ut *causis*, tale quid evenire soleat, majorem postulat attentionem, pro vero harum rerum ordine & eventu inveniando. Ante omnia quidem illud sic satis notum est, primo, quod *infantes*, imo jam jam *pueri*, qui sub satis laudabili, & minus dubiâ, sanitate, tali corporis habitu conspicui fuerunt, quem vulgo *Sanguineum* agnoscunt, *succi pleno*, *laxo* & *turgido*, cum *florido* bono colore; quod, inquam, tales, per coortos *morbos*, quibus *graviter* affecti, & *diu* ab illis obsessi ac detenti fuerunt, etiamsi ad reliquam, non solum tolerabilem, sed magis magisque etiam constantem atque inculpatam, *sanitatem* revertantur, tamen pristinum illum saturatiorem corporis *habitum*, ita in *gracilem*, & plus minus *macilentum*, mutatum exhibeant, ut toto reliquo vitæ decursu, ad pristinum modulum nequaquam revertantur.

Th. XXI.

Ad quorum eventuum rationes facilius pervestigandas faciens circumstantia, notatu maxime digna, neque debet, neque potest temerè silentio prætermitti. Est vero illa, quam in toto negotio Temperamentorum minime omnium negligendam arbitramur. Nempe *strictiorem* corporis



poris habitum, revera *constantem* mansurum, indiviso comitatu prosequens *amplior capacitas Vasorum* sanguiferorum. Hæc enim cum *mutationis* allegatæ Temperamentorum certissimum exhibeat sese *comitem*, tanto minus mirum esse potest, si postea *strictura* illa *porosarum* partium tanto *firmiter* persistat; postquam humorum bonæ quantitati, ita liber receptus *intra Vasa* patefactus est, ut inde *porosarum* partium *strictura*, tantò constantius *tonum* suum seu *intensionem*, retinere possit. Ut vero usus hujus phænomeni ad *causales* respectus tanto melius dilucescere possit, respiciendum ante omnia est, ad nudam *historiam* usitatorum causarum *præcedentium*, quæ *mutationem humidioris* Temperamenti in *Siccius* præcedere observantur. Sunt vero hæ *triplicis* prope modum generis. Primo, similitudo insigniter exquisita *parentum*; Quando nempe parentes etiam *ambo*, texturæ hujusmodi, habitualiter & constanter *strictioris* & *gracilioris*, exstiterunt. Secundò, quando Subjecta talia, ut jam quoque tactum est, per *morbos*, & nominatim quidem *febriles* aut *convulsivos*, ad hujusmodi texturæ corporis mutationem transitum fecerunt. Tertiò, quando, imprimis ab ipsa *pueritia* aut *adolescencia*, *fortioribus* corporis motibus, plurimum, *diu*, & *constanter*, subjecta talia addicuntur.

TH. XXII.

Ubi de primo modò dictorum genere notari mereatur, quod in hujusmodi *hereditaria* prædispositione, etiam vix unquam exquisitior talis *Sanguineus* habitus, qualis *Temperamento* assignatur, in ipsa usque *infantia*, ne dum jam *pueritia*, locum inveniat: Nempe admodum *laxe* constitutionis carnosæ, cum vera *exilitate* Vasorum. Sed potius jam ibi etiam, sub qualicunque *turgiditate* *porosarum* partium, nihilo minùs vasorum tanta compareat *amplitudo*, ut etiam in *tenellis* adhuc plane corporibus, satis *conspicienda* sese hæc præbeant, *Purpureo Subcœruleo colore*, per teneram cutem translucente, simul tamen etiam distinctas *ramificatio-*



*nes* Vasorum ita conspectui offerente, ut etiam ad reliquam *proportionem* totius corporis, merito dicenda *magnitudo* horum, jam affatim discerni possit.

Th. XXIII.

Tales inquam infantes, quanto magis augeſcunt, *trimam*, *quadrinam*, ætatem aſſequentes, nedum ulteriorem *pueritiam* proſequentes, manifeſto *graciliorem* jam conſpectui offerunt corporis ſtaturam; Nempe, cum *ſtriſſiore*, & veluti ſiccior aut *macilentior* habitu carnoſarum partium, *vaſa* ſanguifera, jam tum magis magisque eminentia, *capacitate* & *turgiditate* conſpicua. Quæ *vaſorum*, ad reliquum *carnoſum* habitum *proportio*, quanto magis ſeſe exerit, & ad *adoleſcentiam* uſque, proportionate procedit, eo certius per omnem reliquam vitam ſervat *primævum* illum ſuum tenorem, &, quantum nobis adhuc per experientiam, ſatis curioſam harum rerum, innotuerit, in *contrariam* texturam, nempe *carnoſarum* partium valde *laxam* & poroſam, *vaſorum* autem notabiliter *exilem*, proportionem, minime mutatur, aut in talem transmigrat.

Th. XXIV.

Ad ſummum illud ſolum evenire ſentitur, ut *toroſi* atque *lacertoſi*, *carnoſi* inquam, evadant, qui à prima pueritia jam admodum conſpicua & *capacia* oſtenderunt ſanguifera Vaſa: Ita tamen, ut ipſa hæc *carnium* velut ampliatio, non *mollem*, *laxam* & *ſpongioſam*, exhibeat texturam aut conſiſtentiam; ſed potius firmam, *ſpiſſam*, *denſam*, & veluti ſubrigidam ſeu ſubduram. Talis autem conſtitutio, quam plurimum debet *laborioſiori* ab ipſa pueritia, aut ad ſummum adoleſcentia, vitæ rationi; Nempe non tam ſimpliciter *impetuoſis* & *violentis*, quam *diuturnis* & quaſi *continuis*, corporis motibus, proportionatis interim ad ætatum *vires*. Cui tamen circumſtantia ſociam operam egregie jungit, *Dietæ* ratio, in *cibis* quidem largior, in *potu* vero, præcipue ſub laborum temporibus, parrior. Cuius circumſtantia  
effica-



efficaciam, quisquis *Physico-Mechanicas* rationes atque proportionem, curiosius expendit, (circa nutritionem *solidarum*, turgescientiam *fluidarum*, & expansionem seu distensionem *continentium*, partium) non poterit non quasi manibus comprehendere, quomodo harum causarum proportio, ad tales *effectus* conspiret & respondeat.

Th. XXV.

Fit itaque imprimis *Transitus*, ab *humidioribus* *Temperamentis* ad *sicciora*; i. e. à *laxiore* carniū textura, ad *densiorem* atque *strictiorem*: A *vasorum* vero, ex adverso, *arctiore* capacitate, & *exiliore* ambitu, ad *maiorem expansionem*, & *ampliolem* capacitem. Dixi, *imprimis* hæc ita fieri; i. e. communissime, & longe maiore exemplorum numero, quam *contra*; ut nempe à vero habitu, & textura prægressa constante, corporis, etiam toto illo tempore bene *sanī*, *graciliore*, mutatio fiat ad habitum *laxum*, *humidum* atque *succulentum*, *porosum*, *spongiosum*, & pariter tamen de reliquo, *constanter sanum*. Ita enim novimus exemplum, ubi *Juvenis*, jam ad aliquot ultra XX. annos ætatis, valde *gracilis*, vitæ simul *sedentariæ* dicatus, intercurrentibus tamen aliquoties per annum, longinquis *itineribus* vectatoriis cursoriis, per *Postas* vulgo dictas, cum aquæ calidæ potui, cum *Thee*, admodum indulgere cœpisset, adeo, ut vel quatuor ad quinque *Libras*, imo amplius, singulis vicibus epotaret, transitum inde fecit ad habitum *laxum*, *turgidum*, *mollem*, imo *obesum*. Effectus autem *potationis* tam copiosæ *Thee*, apud hunc hominem erat insigne augmentum *appetitus*; Cui proinde indulgendo, sub jam dicta *sedentaria* magis vitæ ratione, partim *nutritio* largior successe, partim *humidior*, quasi *maceratione* continua, *imbibitio*, & inde *turgescentia* (*Ein- und Aufschwellung*) fibrarum. Unde etiam præsens *Viri* habitus, minime est *Sanguineus*, sed magis luculenter *Phlegmaticus*: Neque si vere dicere debeamus, quod res est, ullo modo exquisitè *sanus*; Verum



rum non tantum insigni illi *latitudini*, cui *Phlegmatici* inter omnia reliqua Temperamenta primi subjacent, sed jam manifestis ejus declinationibus, non tam solum expositus, quam in rei veritate jam subjectus. Nempe *Rheumatico-Catarrhalibus* affectibus *externis*, eorumque *reciprocationibus* & *conspirationibus*, tam *pectoralibus*, quam *hypochondriacis*, *internis*, &c.

Th. XXVI.

Quemadmodum autem in hac prima Classe non tam de *transitu* seu progressu, quam potius *ingressu* ipso, & primo *proventu*, & quidem *graciliorum* imprimis, Temperamentorum, sermo nobis fuit; Dum alias vulgatissima opinio, nec ipsa quoque simpliciter contemnenda, fert, *Sanguineum* Temperamentum esse *verum*, *unicum princeps*, & quasi *fundamentale*, à quo reliqua vel *procedant*, vel *secedant*: Qualem interim *secessionem* nos animadvertimus etiam ab ipsa *primigenia* formatione, per *hereditariam* impressionem, *idealem*, quæ *actui structorio* objicitur & imprimitur, introduci solere: Ita propius jam conceptui curiosius contemplativo, favet *altera* ratio seu fiendi methodus, qua *verus transitus* talis ab uno Temperamento in alterum, seu *mutatio* Temperamenti, evenire, sagaciori observatione facile deprehenditur.

Th. XXVII.

Ut rem ipsam primo loco sistamus, & tunc demum ad *causales* ejus respectus gradum promoveamus, obvia est, animum vel mediocriter advertentibus, experientia illa in quotidiana Praxi, quod tam *infantes*, quam *pueri*, quin *adolescentes*, imo *juvenes*, (nec ipso tandem *Virilis*, consistentes ætatis tenore penitus excluso,) post *diuturnos*, imprimis tamen *febriles*, affectus, à pristina sua habitus corporis florida atque *turgida* constitutione, ita veluti degenerent, ut nunquam amplius ad pristinum illum, ut vulgo loquuntur, *bonum*, habitum, revertantur, sed semper ab illo  
tem-



tempore, *graciles*, & quasi *macilenti*, appareant, imo tales maneant. Ita tamen ut impofterum *mutati* totius habitus, seu *novi* introducti veri habitus, documentum exhibeant, ipsa *sanitatis* proportionata integritate, ipsum etiam novum hunc habitum comitante: Quod nempe verum est Criterion, & nota characteristica, *exquisito* sensu dictorum Temperamentorum.

Th. XXVIII.

Talem vero, non solum *texture totius mutatae*, sed etiam *sanitatis* satis probatae, constantiam, retinent impofterum imprimis illa subiecta, quae *transitum* hunc subierunt in ipsis *primis etatis* gradibus, *Infantia*, *Pueritia*, aut ad summum *primae adolescentiae*: Dum interim firmioribus jam, corporis & animi, inter se conspirantibus (per motum & morum *συζυγίας*) ideis, sub amplius progressa *etatum* periodo, paria expertis, si non æque absolute minùs firma, certius tamen minùs quieta, obtingit *sanitatis* continuïtas: Quin facilè, plus minus irregularia quaedam, jam in corporis, jam in animi, motibus atque molibus, eveniant, quae tranquillis, & sine interruptione continuatis sinceris Temperamentis, tam facile, adeoque familiariter, minime accidunt aut obtingunt.

Th. XXIX.

Hujusmodi constitutio, *transitus*, inquam, ab uno Temperamento in alterum, nominatim autem ab *humidiores* in *siccus*, & à *Spongiosiore* in *strictius*, quomodo *mechanicâ* quadam agendi atque fiendi ratione, producat, non adeo difficile esse poterit conceptu, si *agentium* cum *patientibus* manifesta proportio, prudenter ad animum revocetur. *Agentium* autem nomine, indicamus *motus* illos humorum, qui pro *circulatione* sanguinis perpetua, *Pulsui* & *Tono*, & horum *reciprocis* conspirationibus, innituntur.

Th. XXX.

Quamdiu enim *tranquilla*, *uniformis* perpetua, ejusmo-  
C
di



di mutua conspiratio & vera συζυγία, Toni partium porosarum, & impulsus partium fluidarum, conservatur, tunc manet facilè, tam porosarum illarum partium, (meatum, pro comeatu perpetuo sanguinis,) quàm vasorum humores vegetantium, semper eadem & continua, capacitas.

Th. XXXI.

Quando vero *meatus*, & hos formantes partes *porosae*, ultra solitum contrahuntur atque *stringuntur*; *Humores* autem longè majore impetu *impelluntur*; & hoc ipso insuper, *spumidâ turgescentiâ expansi*, *duplici* ita insultu, *vasa*, longè ultra ordinarium consuetum modum, *distendunt*: Et utrumque hoc negotium valdè, atque diu, ita *continuatur*: quid certius expectari, & luculentiore experientia observari inde potest, quam *successive adsuescens*, & magis magisque *obfirmata*, antè omnia *Vasorum ampliatio*, à pristino modulo valde recedens, nec ad illum eadem, quin potius nulla, facilitate, imò facultate, ampliùs restituenda.

Th. XXXII.

Quæ res ut luce sua tanto clariore radiet, meretur utique bene perpendi vere *mechanica* illa ratio atque conspiratio, inter semel ita introductam *Vasorum* quidem longè majorem *amplitudinem*, *porosarum* autem partium, pristina majorem *stricturam* atque densatoriam *arctationem*, imposterum obfirmandam. Quid enim evidentius est quam solidas *porosas* partes flexiles, minus imposterum ad antiquam *turgescentiam*, ab humorum perpetuo impulsu, *distensum* iri, quando v.g. duplo plus humorum, imo amplius longe, in *vasis*, nunc in tantam amplitudinem *distentis*, locum invenit: Quod ante hac, longè *arctiore* vasorum mensura, in *porosas* partes, earumque *spongiosam Laxitatem*, perpetuo redundare, & in illis liberum locum & progressum assequi, partim debuerat, partim potuerat. Unde tanto facilius post hac evenit, ita *arctius densatarum* *fibrosarum* partium, non solum *obrigescens* veluti obfirmatio, sed etiam,



etiam, imprimis in ætatibus, *augmento* corporis adhuc plurimum incumbentibus, in ipso hoc sui situ, nutritiva, non magis *confirmatio*, quam vera *conformatio*.

Th. XXXIII.

Cui veræ considerationi jungenda mox venit altera illa, ad varios respectus & usus Physico-Pathologicos, apprime utilis; Nempe *expansionis* ejusmodi longe amplioris, quam per pure *naturalem* ordinem, in priore corporis constitutione præsto fuerat, vasorum majorum *internorum*, circa & per *viscera*, thoraci & abdomini inclusa. Cum enim in his locis *interioribus*, *Tonus* porosarum partium spontaneus, nimio *minor* & *debilior* existat, quam in *exterioribus* musculo-fibrosis; Et ipsa præterea *Vasa*, majore numero, & jam regulariter majore *capacitate*, (in proportionem reliquarum hic ambientium partium erga externas,) in abdomine insuper bonam partem *semi-nuda*, subsistant: Facile est conceptu, quomodo hæc *interna* vasa, sub tali constitutione, vehementiore impressione diu multumque exercita, *distensionem* illam solito ampliorem, sensim sensimque ita admittant, ut etiam imposterum in tali textura obfirmata, eandem servant, & perenni constantiâ retineant. Unde post hac etiam ex hac parte, majore humorum copia liberum receptum adepta, tanto magis *stricturam* suam, (etiam per modum *subsidentia*, qui aliis placet,) retinere possunt, partes *porosæ* flexiles *externi* habitus corporis.

Th. XXXIV.

E quibus interim rebus ita vere fientibus & inter se conspirantibus, *activa*, inquam, *pulsus* & *Toni* energia, & *passiva*, vasorum *distensione*, *fibrarum* vero *stipatione*, & in illo situ tandem *obfirmatione*, legitimo modo, ordine, & progressu prognascitur, & imposterum fovetur, confirmatur, imo conformatur, firmum atque stabile *Temperamentum totius novum*, à prægresso omnino diversum.



Neque vero operæ pretium ducimus, prolixè prosequi *efficaciam & modum agendi* illorum affectuum, à quibus hæc *mutatio* Temperamenti introduci non solum potest, sed etiam solet. Nominavimus jam suprà *Febres*, imprimis autem *febriles commotiones diuturnas*: sive *continua serie* durent, ut in *turbatis*, & à regulari typo in transversum actis, *acutis*, tum etiam *Lentis*, & *Hecticis*, evenit: Sive *sæpius* eidem subjecto, repetendo, eveniant. Quod tantò magis in corporis constitutione adhuc tota *teneriore*, certissimum locum habet, & exemplis frequentibus evidentius redditur.

Th. XXXVI.

Quemadmodum autem nemini facile eximium quodcunque dubium circa hujusmodi energiam talium *Febrilium* affectuum, oriri poterit; ita sunt tamen etiam adhuc *duo* affectus, qui huic effectui multum quadrant: nempe *diuturna inopia*, sive verè *famelica*, sive *Nostalgica*: Et valdè *mæsta*, *timida*, *susplicax*, *anxia*, animi perturbatio, valdè *diuturna*, quam *alacris* nutritionis solidarum partium, etiam in vulgus notus, defectus, (*daß solche Leute nicht zunehmen/ oder gedeyen/*) comitari solet: *sanguinis* autem vehementiores commotiones, valde *promptæ & frequentes*, per *cordis palpitationes*, insequuntur: Quales utrasque constitutiones admodum familiariter infectatur insignis sensibilitas *tonica*; tam ad *caloris & frigoris* alterationes, quam ad *phantasticarum idearum*, *timidarum*, *terrificarum*, per ipsa *somnia*, oblationes: Unde *strictura* habitus corporis porosi notoriæ, quas vulgus ipsum vernacula notat, *frösterich aussehen/ furchtsam/ erschrocken/ aussehen*: Nempe, ad ipsum liquidum conspectum usque, elucente *strictura* illa mollium partium.

Th. XXXVII.

His ita enumeratis, meretur adhuc subjungi, congener aliqua, non æque vera, nempe *plena, permutatio prioris*



ris Temperamenti , qualis, è *poroso humidior*, in *strictius* atque *siccus*, huc usque à nobis descripta est: Sed tamen alteratio seu *variatio*, quando nempe ab ante allegatis causis, non quidem adeo æque *plenarius* effectus tam in partes *porosas*, quam in *Vasa*, redundat: Sed tamen in *alterutram* partem, nempe *vasa*, constantior huiusmodi *impresso* redundat: Ut videlicet equidem reliquum *laxiorem* habitum *spongioso-porosum*, non maximopere mutant, interim tamen *Vasorum* distensionem, ab exquisita *laxioris* Temperamenti norma in diversum abeuntem, retineant.

Th. XXXVIII.

Sicut enim ab antiquis inde temporibus, peculiaris illa ratio & proportio *capacitatis vasorum*, ad *laxitatem meatuum* per *porosas* partes, parum studiose notata, aut peculiari animadversione digna iudicata, ad nostra tempora transmissa est; Nostris autem temporibus, totum hoc negotium incommode intellectum, & propterea neglectum, imo contemptum fuit: (Quæsitæ, mirum quam *ἀτοπῶς*, *mechanica* ratione, & proportionem pure speculativa, in corpusculis *singulis* humorum, & *figuris singulorum* pororum, neglecta vero tam veritate, quam usu & efficacia, *motus* humorum, in crassiore sua *mensura*, & *proportionis* horum, tam ad *ductus* seu *vasa*, quam *meatus* & *transitus*) Ita, cum in hac potius re, quam ulla alia, veræ *machinales*, *rationes*, *proportiones*, *energicæ*, & harum justæ *æstimationes*, tam *Physicæ*, quam *Medicæ*, unice insint, postulat illa certe vere & utiliter curiosorum animorum, longe aliam *adversionem* & *applicationem*, quam ad hunc diem experta fuit. Quam rem proinde diversis *Schediasmatibus*, alibi directè, alibi per occasiones, Dn. Doct. Præses indicavit & notavit.

Th. XXXIX.

Ita enim revera etiam hæc alteratio *simplicioris Sanguinei* Temperamenti, aut *Sanguineo-Phlegmatici*, qua *vasis in-*



usitata *ampliatio* inducitur, facit certe post hac, tam pro *Medica* historica & discretiva *Pathologia*, quam *Physico-Mechanica* simplici & directa *ætiologia*, non contemnendum operæ pretium. Id quod in vera & solerte historia *Rheumatico-Arthriticarum* dispositionum æque atque constitutionum, evidentissime sese exerit. Simul vero etiam circa heteroclitas mutationes *animi morum*, à pristina indole præcedentes, curiosam observationem meretur. Siquidem dubium nullum est, quin etiam circa hanc partem, longe alia Theoriæ *Physico-Medicæ*, evidenti veritati consona, certitudo stabiliri, & multiplicibus ulterioribus usibus ejusdem Theoriæ, pro fundamento substerni posset, si modo tam vere curiosa annotatio historica, quam vere prudens, circumspecta, & bene pensitata, æstimatio, explicatio & applicatio ad hujusmodi res adhiberetur. Circa quam tamen rem, quid à temporibus & hominibus sperare fas fuerit, ab ipso tempore expectandum erit.

Th. XL.

*Tertio loco*, mentionem fecimus *mutationis* Temperamenti, à *laboriosis*, diu multumque, imprimis ab ipsa inunte ætate usitatis, corporis *motibus*. Sicut enim ab his, *fibræ* partium magis firmanantur atque densantur, sanguis è porosis partibus in Vasa fortius *repellitur*, sanguis ipse, intestini motus augmento magis *exturgescit*, & omnibus modis Vasa ipsa, velut undiquaque, longe plus quam per nudam naturalem circulationem, *expanduntur* atque *distenduntur*: Sequitur inde talis peculiaris *textura* universi habitus mutatio, ut *moles* quidem partium Carnoso-porosarum, non æque insignem arctationem aut strictionem inde subeat: Interim tamen consistentia *fibrarum* longe *spissior* & robustior, eoque ipso tota *textura densior*, evadat: Omnibus modis autem *Vasa*, præter *legitimum ordinem* diffusionis corporis habitus, longe *capaciora* & *ampliora* evadant.

Th. XLI.



Hæc ipsa certe *alteratio* Temperamenti, ut, *Experientia* teste, satis frequenter evenit, ita vocat tamen ad se etiam considerationem prudentem, pro dijudicandis quantumcunque heteroclitis *effectibus* æque ac *eventibus* variis, tam in *corpore*, ejusque *motibus*, quam ipso *animo*, ejusque moribus *patheticis* intentionibus, actionibus, & harum ideis atque modulis. Unde merito, neglectam propemodum universa scholæ theoreticæ, hanc diversam, & spontaneo naturæ cursui minus notam, irregularitatem *capacitatis* vasorum, ad *perositatem* partium, meliori atque curiosiori contemplationi, commendamus.

Th. XLII.

Quemadmodum autem ita monstravisse speramus, non solum, quod Temperamentum unum in alterum, imprimis autem *humidius* atque *laxius*, in *siccus* atque *strictius*, mutari soleat; Et quomodo hoc ipsum, tam secundum sanam *rationem*, quam huic exquisitè suffragantem *Experientiam*, fieri possit: proximus sine dubio restat progressus, ad *usum* hujus animadversionis contemplandum. Quod ipsum tamen antequam agamus, placet, propter affinitatem materiæ pauca adhuc Verba facere de re, jam etiam alibi à Dn. Doct. Præside velut obiter tacta, nempe antiqua veluti *traditione*, de *peculiari Temperie Sexus feminini*, à Virili differente. Non fert nostri temporis nimio plus circumscripta ratio, auctores hujus assertionis prolixè citare atque allegare; Res ipsa vero in eo, brevibus, versatur, quod asseverent, feminas in genere, nempe ex absoluta totius *Sexus* constitutione atque conditione, esse *humidiores* Viris; Imo juxta multas, etiam *frigidiores*. Unde, per nimium familiares turbæ scholasticæ medicæ ineptias, non defuerunt, qui etiam ad libellam expendere, & veluti exquisito computo definire ausi sint, quod *calidissima* feminarum,



rum, adhuc inferior sit gradu, masculo *frigidissimo*, nempe secundum Naturam, è nuda ratione Temperamenti.

Th. XLIII.

Fatemur autem libere, non invenire nos usquam, nec *historicum*, nec *etiologicum* quodcunque, hujusmodi *traditionis*, sive fundamentum, sive documentum. Interim, ut ab antiquissimis inde temporibus, non exiguus numerus, tanquam simplicissimarum *observationum*, *brevissima* mentione allegatarum, ad posteritatem penetravit; quarum si nihil aliud, certe nudum τὸ ὅτι, subinde curiosiorem animadversionem ad se vocare possit: Ita circa traditionem illam, de constitutione *humidiore* feminini Sexus, quam Virilis, affecit omnino animum non incurium, observatio ex ipso sensu oblata & quasi subnata, quæ veritatem hujus traditionis fulcire videatur. *Humiditas* nempe simplex & sincera, omni utique modo differt à quantumcunque sensibili *spissitudine* humida: Adeo, ut posterior hæc, omnino jam aliquid ad *siccitatem* respiciens inferre aut includere, intelligi possit.

Th. XLIV.

Jam vero *feminei* sexus in genere, esse hanc diversitatem à virili, ut magis simpliciter *humida*, aut certe longissime minus *spissiuscula*, temperie affectus sit, confirmat Experimentum omnium *Brutorum*, quæ in cibum hominibus cedunt, adeoque gustum subeunt & afficiunt. Horum enim, *feminarum*, inquam, è brutis animantibus, carnes, quomodocunque, sive imprimis *elixando*, sive *assando*, in cibum præparantur, adeo manifestam diversitatem γλισθηρότης seu *submucida lubricitatis*, gustui offerunt, ut curiosius harum rerum peritus, ex uno bolo talium carniū, edisserere valeat, utrius Sexus illæ fuerint. Neque vero hoc solum, sed judicare etiam de hac re, ejusque evidentia, valet ipse *visus* atque *tactus*. Dum ad oculum, & prope modum ut vulgo loquuntur, ad nauseam, *succulenta* tota, sed



sed *submucido* humore conspicua, oculis occurrit caro *bovis gregarii*, *integri* nempe, non castrati; Quæ conditio tanto magis sese exerit in carne hujusmodi *cocta*, ubi *lubrica*, *mucida*, *semi-glutinosa*, apparet tota: Et hoc nimio plus, & velut ad oppositum usque, ergà carnem *Vaccinam*, quæ *exsucca*, *sicca* quasi, & tanquam nuda aqua superficietenus humectata, sentitur. Par ratio est carnis *hircinæ*, in collatione cum *caprilla*: *Arietina*, ad *Ovillam*, nec vero plebi ignota, par diversitas carnis *Galli Gallinacei*, & *anseris* masculi, erga *femellarum*, carnes &c. Ubi de omnibus talibus masculis carnibus, nudorum sensuum horum testimonio liquet, quod plebs de illis loquitur, es *sen jenes safftig / schleimich / geil / biß zum Eßel: dieses trocken / ohnschmackhaftig /* & de annosiorum *Vaccarum* aut *ovium* carnibus, *sene ohne Safft und Krafft / als ob man Säg Späne kauen / quelle gleichsam im Maul* (imbibendo potius, quam offerendo, humiditatem lubricam) daß man es kaum hinterbringen könne &c.

Th. XLV.

Quæ certè conditio ultima, aliunde deduci non potest, nisi à longè *simpliciore*, & quasi *nuda*, *humiditate*, cum nimio pauciore, quam in masculis, subtili *terrea sicciscentis* dispositionis) *mucilaginosâ* substantia subactâ. Quæ res, quas considerationes, tam ætiologicæ *Physicæ*, quam *Medico-Pathologicæ* suppeditare possit, relinquimus sagaci curiosorum judicio.

Th. XLVI.

Revertimur autem ad nostrum propositum, nempe *usum* considerationis, *Temperamenti* memorato modo atque more *mutati*. Ubi primo loco se commendat, non utilis magis, quam *necessaria*, circumspecta discretio in hujusmodi casibus; ne intempestiva officia medica destinentur, & frustra cumulentur, ex irrita opinione, quasi *gracilitas* illa, post *diutinas*, imprimis *febriles* fatigationes, ali-

D

quid



quid verè *præternaturale*, *hecticum*, *tabidum*, *atrophicum*, existant: Quod propterea tamdiu, variis tentaminibus & medicamentis, oppugnari & expugnari debeat, donec corpus sic affectum, simpliciter ad pristinam *evexiam*, floridum & *turgidum* habitum, restitutum sit. Ubi, cum etiam *strictior* corporis habitus, communiter minùs alte penetrantem *ruborem*, adeoque magis *palloris* quendam gradum, secum ferat; incommodè certe ex hac circumstantiâ fovetur opinio, quasi tale subjectum, ab ipso morbo adhuc innidulato, ad verum vigorem, & sanitatis florem, reverti impediat: Cui proinde iterum medica arte consulendum atque subveniendum sit.

Th. XLVII.

Quæ res, cum necessario exitu felici destituatur; hoc ipso vero culpa in Medicamenta non dum rectè satisfaciencia recidat: pullulat inde novum tale artis Scandalum, ut non modo *nova*, sed & *plura*, & *fortiora*, tentanda credantur esse remedia. Quæ, cum usum nullum præbere valeant, damnum invitare, imò introducere valent, & fictam ac imaginariam ægritudinem, in veram mutare: Effectu certè potius, quam eventu, nec ipsis ægris, nec artis dignitati & existimationi, tolerando.

Th. XLVIII.

Secundo vero, cum omninò nova hujusmodi *texturæ mutatio*, etiam novas quasdam, & talibus subjectis demum *adventitias*, *dispositiones* introducat, quarum hinc inde emicantes effectus, tanquam insolitum quiddam, imprimis *animum*, *pristinæ motuum* & *morum* regulæ adhuc *memorem*, & quantumcunque *tenacem*, tangant & perplexum reddant: Fit inde, ut etiam ipsi sic affecti, querelis suis, errandi occasionem medico subministrent, ut ille plus quam vel necesse sit, vel utile, agendum, aut certe tentandum, sibi sumat, irritò ad bonam spem, sed efficaci ad insperatum incommodum effectum & eventum, ausu & conatu.



Sicut autem modo nominavimus, peculiarem, & absoluto sano statui, sibi plane atque plene relicto, non eadem ratione notam, *animi motuum* atque *morum* ideam; quæ primo quidem adhuc à pristina constitutione restitans, an-  
tequam novæ huic, quasi *contraria*, sese accommodet, & velut adsuefiat, quasi perplexum reddat atque teneat anim-  
um, tam in *corporalibus vitalibus*, quam *animalibus*, *volun-*  
*tariis*, imo *intentionalibus* ipsis, *agendi*, & *in agendo*, scopis  
atque typis: Commendamus hinc merito, solertiori *Ob-*  
*servationi* æque, atque *animadversioni*, quomodo hujusmodi  
*mutatio* Temperamenti, è *Sanguineo*, longe familiarius  
transeat in *Melancholicum* dictum, quam *Cholericum*. Et hoc  
imprimis, quando transitus hic, vel à *diuturna*, vel intra  
brevius tempus sæpius *reperita*, causarum suarum, etiam  
de reliquo periculosa, *vehementia*, ortum suum duxit. Aut  
ad minimum, quomodo *Melancholico* - *Cholericus* potius,  
quam usquam simpliciter *Cholericus*, *morum* habitus, quin  
etiam *corporalium motuum*, hujusmodi *mutationi* superve-  
niat aut succedat. In cujus considerationis subsidium, al-  
legare fas erit ea, quæ Dissertationis de *Temperamentis* Cap.  
X. & de *optima sanguinis temperie*, latius deduximus, de  
*conspiratione ideali animi morum seu motuum*, à *mechanica propor-*  
*sione* necessariorum perpetuorum *corporalium motuum*,  
introducenda.

Th. L.

Quamvis autem hæc consideratio talis *mutationis* Tem-  
peramentorum, quasi directe ad Praxin, parum respicere,  
videri posset; habet tamen sese res aliter, *duplici* imprimis  
intuitu. *Unum* designavimus jam supra; Quando videli-  
cet omnino quam maxime Practicum haberi debet, partim  
*phenomena*, partim *incommoda* aliqua, ab hujusmodi *mutatio-*  
*ne*, vel in *totum*, vel maximam *partem*, pendentia, & nun-  
quam posthac, nedum *simul & semel*, in *solidum* auferenda &



mutanda, non solum pro peculiari morbo interpretari, *febre Lenta, Hectica, Tabes* quacunque, *Atrophia* &c. sed etiam *indefinentibus* medicationibus, imo, (dum nihil proficiunt,) de tempore in tempus, *importunioribus* tentaminibus, novam hanc statutam, ad pristinum modulum adigere velle absolum est, imo noxium. Ubi occasio erit, decenter attentata atque sagaci observatione, animadvertendi, quomodo à talibus demum conatibus irritis, imo alienis, varia demum pathemata & Symptomata excitentur, & innocuis patientibus incutiantur; à quibus nequaquam correpti essent, (documento aliorum, in genere similiter dispositorum, sed à medicatione abstinentium) si à talibus ausibus sibi temperassent.

Th. LI.

Secundo vero loco, commendamus vere solertibus atque consideratis Practicis, ut animum advertant ad illam circumstantiam, quomodo subjecta, hujusmodi *mutationem* in suo corpore experta, imprimis *puerili* adhuc, aut *adolescente* ætate, post hac velut ad sensum proniora sint ad actuales *excretiones*, imo *elisiones*, sanguinis. Cum enim non solum à tali sanguinis copiosiore *collectione* veluti, intra *Vasa ampliora*, sed, in hoc Casu, insuper brevi velut *impetu illata*, adeoque effectus suos, huc usque inusitados, exercente, imprimis *interiora* viscera, iterum dico *inusitato* hucusque modo, velut oppleantur, imo quasi obruantur: Inde sequitur tanto facilius *sollicita* quædam, imo *anxia* per occasiones, intentio, & huic respondens inventio, per initia ad minimum tentabunda, partim *divulsionum* & *represionum*, partim actualium *exonerationum*, atque *depletionum*.

Th. LII.

Unde imprimis annotavimus, dicto modo affectos, nimio magis, quàm tales, qui à *nativitate* & quasi à *hereditate*, aut à *laborioso*, (ab ineunte ætate,) *Vitæ genere*, ad similem corporis habitum pervenerunt, proclives esse ad

cor.



*cordis palpitaciones, suspiriosas respiraciones, angustias transitorias, hypochondriaca, & imprimis splenis inflativa, pathemata Spastica, & angustias quasi Suffocativas, hamorrhagias Narium frequentiores, promptiores, immoderatiores: Animi etiam specularundam meticulositatem, insomnia terrificata, meticulosa, aut laboriosa, ut de ambulatione cum summa crurum & corporis defatigatione atque lassitudine &c.*

Th. LIII.

Quibus omnibus rebus in Praxi seu Therapia, usitatis imprimis, & nulla bona fide solidæ experientiae famosis, *aperientibus, resolventibus, sanguinem fluxiliorem reddentibus, suppositam ejus coagulationem fundentibus, medicamentis: regiminibus sudorificis, acidulis atque Thermis; Aut plane perditissimis illis antihæcticis & antiphthificis, oblistere potius, quam occurrere velle, quales effectus post se trahat, malumus prudentes, & idoneis occasionibus potientes Viros, è propriâ, quam nostrâ, observatione, animadvertere: quam interim omnibus, non sine iusta ratione, commendamus.*

Th. LIV.

Non obliti sumus, sed volentes proprio loco reservavimus, *promptitudinem sudandi, nostræ tractationis subiectis, plus quàm ulli alii homini, familiarem. Quæ res, cum etiam in alio Casu, febrium Intermittentium Compositarum non commodè tractatarum, Medicum hujus rei minus peritum, sæpe graviter confundere possit; Quod interim tanto difficilius evitari valet, cum, quod nos sciamus, vix apud ullum medicum Scriptorem hujus rei mentio digna atque verax occurrat: (sudorum, inquam, & promptissimorum, & largissimorum, imprimis sub Somno, febribus lentescuntibus magis succedentium, quam accedentium; ceterum, nisi male tractentur, vix non simpliciter innoxiorum, qui tamen pro hæcticis, colliquativis, vires plane pessundantibus, & summi periculi plenis, passim arguuntur)* Cavendum etiam



in hoc Casu tanto solertius, arbitramur, ne auctoritatem adjiciat Medicus duplici illi plebiscito, dum vulgus hominum, pueris, à talibus imprimis prægressis causis, *facile, & intemperantius*, è naribus sanguinem fundentibus, tum etiam per leviores occasiones largiter *sudare* promptis, *phthysicam*, aut sane, (nempe ambiguo ad utrumque vernaculo vocabulo, *Schwindsuchtig*) *tabidam* constitutionem præternaturalem, assignat.

Th. LV.

Possumus, ultimo loco, constitutionibus nostræ tractationis, adhuc, quantum nobis observare licuit, jure meritòque, assignare, insignem præ aliis *sensibilitatem*, tam ad *calorem* eximium, quam ad *frigus*: Imprimis tamen ad repentinas horum duorum *mutationes* seu *μετάβασεσ*. Cui tamen etiam addere possumus *minus durabilem*, hujus rei effectum, ita, ut longe etiam faciliùs atque citiùs à talibus alterationibus ad se revertantur, quam sub alia constitutione sic alterati. Sicut etiam paullo ante notata promptitudo, *aucta*, ad *sudorem* usque, *transpirationis*, etiam in hoc negotio his subjectis plurimum emolumenti præbet.

Th. LVI.

Non autem placet, nisi obiter, & non æque ex proposito, ultimo loco, brevibus meminisse, constitutionis, quæ usitata tractandi methodo, tanquam inter *equivoca*, fed non tam *nominalia*, quam *realia*, locari debuisset. Est hæc, quando *Infantes*, *pueri*, imò usque in *adolescencia* initia, per aliquod tempus, imò aliquot annos, corporis *augmento*, adeoque etiam secundum communem interpretationem nutrimento, valde parum proficere visi, fed *graciliores*, *pallidiores*, *debiliores* visi, post hac, quasi simul & semel, certe intra brevius ad pristinam proportionem tempus, in omnem dimensionem *succrescere* conspiciuntur. Ubi, quando



do à *graciliore* corporis mensura, ad *laxiorem* progressi esse videntur, solennis talis *mutatio* totius Temperamenti facta esse putari posset.

Th. LVII.

Verum, licet tale aliquid fieri posse, simpliciter & absolute refragari non contendamus; Commendamus tamen semper, in negotio Temperamenti *totius* corporis, verum fundamentum exhaurientem, illam diversitatem *capacitatis* Vasorum, sive insigniter *arctioris*, sive *laxioris*. *Infantes*, ad pueritiam, imo ad adolescentiam usque, vegeta nutritione & incremento corporis, minus potientes, multos animadvertimus, nihilominus *vasis* apprime *exilibus* constanter instructos. Talibus, si tandem alacritatem, vim suam nutritivam ad notabile augmentum exerendi, capeffit natura, expansionem habitus carnofo-porosi obtingere solere, minime dubitamus. Quibus autem *ampliora*, jam, ad proportionem, sub ista constitutione, obtigerunt *Vasa*, illis aliquid eximie *laxi* adhuc imposterum evenire, quod ad *simplicioris humidioris* Temperamenti amussim quadret, non consentire audemus. Ceterum obtinigit utique dispositio illa prior, à *chronicis atrophicis* causis; Uti posterior à *febrilibus*, sive *diuturnioribus* sive *frequentioribus*.

Ita vero etiam huic nostro proposito, tam secundum Historiam, quam Ætiologiam, Pathologiam atque Therapiam, quantum fert & admittit, satis fecisse sperantes, Divinæ Benignitati pro Clementer concessis Viribus, humillimas gratias consecramus.

S. D. G.

NOBL



# NOBILISSIMO CANDIDATO

Fausta omnia precatur

PRÆSES.



Uicunque justitiam Distributivam, in suo cuique tribuendo, honestissime administrare atque exequi, tam intelligunt, quam volunt, illos minime fugere potest veritas effati illius Senecæ, quod multa quidem egerint antiquiores atque antecessores nostri, sed non omnia peregerint, quin nobis etiam reliquerint, in quibus nostrum studium atque operam collocare valeamus; Ubi, ut æquisime Hippocrates Lib. I. de Diæta monet, immerito ullus illorum reprehendendus veniat, propterea, quod invenire omnia non potuerint, sed laudandi potius sint, quod conari non neglexerint: Ita nos posteriores potius commodam interpretari debemus relictam occasionem, etiam nostras vires experiendi, & jam inventis aliqua adjiciendi. Qua in re ulterius æquitatis exercendæ objectum sese offert, in non negligenda aut contemnenda antiquiorum diligentia, & simpliciter novis omnibus quærendis, ne justa reprehensio Oweni locum inveniat, dicentis: invida stultitia est, cui cuncta recentia sordent: Stulta sed invidia est, cui nova sola placent. Non certe eo loco posita est veritas, non ratio humana & sagacitas, non industria humana, & solertia, ut inde à remota antiquitate plane in tenebris relictæ sint, quæ non solum digna scitu, sed plane necessaria usu, esse potuerint. Habuerunt omnia Secula ingenia observanda



vandæ veritati intenta; à quibus passim aliquid annotatum reportavit posteritas, quamlibet per temporum injuriam, & commoditatis defectum, imo subsidiorum etiam necessariorum, ut sincerioris Philosophiæ penuriam, & inutiles *αλλοτρίωσις*, atque intempestivam polypragmosin, partim sufficientes progressus, partim assensum justum atque debitum, non assecuti sint boni illi conatus. Unde certe multa opus est prudentia, si quid antiquitati notatu dignum visum, absolute ut inutile, aut omnino falsum, aspernari aut damnare in se recipere velit posteritas. Quæ vero majora in medium produci possunt Exempla, quam incredibilia illa propemodum, quæ Hæraclitus, Plinius, Ptolemæus, Strabo, & aliquanto propior Marcus Paulus Venetus, de partibus Orbis, de Gentibus remotis, de Animalibus incognitis, de vegetabilibus inusitatis, imo usitatis sed exoticis, commemorarunt: Quæ tamen temporum successus, si non omnia, tamen multa, & propemodum pleraque, ad ~~intempestivam~~ <sup>intempestivæ veritatis</sup> veritatis atque falsitatis nota vindicavit: Quæ in re Salmasii, Bochari, & propioris Rudbeckii ingenium atque studium, ita primos ordines ducunt, ut etiam ultimus horum, pro nudis somniis atque fabulis habita Platonis de Atlantica, etiam specialissima monumenta, documentis ad ipsam *αυτοψίαν* provocantibus vix non per singulos apices certissimæ veritati vindicari, neque dubitarunt, nec propemodum defecerunt. Unde, non solum in contemnendis ac damnandis antiquorum laboribus, ingente opus est animi moderatione, prudentia, atque circumspectione: Sed etiam longe potior habenda optimorum talium exemplorum imitatio, quæ potius occupata sit in eruenda, elucidanda, & supplenda, rerum talium veritatum. Præbet mihi occasionem de rebus his aliquid differendi, Disputatio Inauguralis de TEMPERAMENTORUM MUTATIONE, quam publice pro-

E pone-



ponere atque ventilare suscepisti. Temperamenta quanti æstimaverit antiquior medica schola; Quid vero recentior de illis senserit, nemini ignotum esse potest, dogmatum utrorumque non infolidum imperitum medicum tutissimum iter; Probanda omnia, quæ bona sunt retinenda, etiam Sacri effati est consilium. Tanto rectius itaque omnino fecisti, quod non solum in hoc ipso Dogmate, & magno numero similium, recte comprehendendo, & ad veritatis trutinam, & recentiorum subsidiorum amussim, revocare, cordi habuisti: Sed etiam insuper rem inter omnia reliqua de Temperamentis memorata minus exasctam, exactius enucleare suscepisti. Non dubito, quin in ipsius Praxeos exercendæ studio, cui jam per duos & quod jam excurrit annos sedulo incubuisti, quæ animum confirmare possint hujus rei documenta jam perspexeris: Invenies autem & hæc, & adhuc plura, ulteriore medicæ Praxeos usu & solerte ac judiciofa observatione. Ad quam feliciter continuandam, tam publicæ auctoritatis suffragia expetens, publicum hoc specimen edere accingeris, tum gratulor tibi de eximiis talibus ausis, tum apprecor in futurum omne tempus, fausta omnia atque prospera. Insiste fortiter ceptis, utere prudenter veris doctrinis & non perfunctoria eruditione: Invoca vero ante omnia Divinæ benedictionis auxilium: Ita nunquam excides optatissimo fructu sinceri, quod tibi confero, Voti, ut omnia felicissime agas, & in perpetua αὐράεσσα diutissime valeas atque vivas. Dabam è Musæo d. XXIX. Junii MDCC XII.

